

rum pluralitatem respectum habere censent, ut *Cyrrill: Chrysof: Rupertus*. Siquidem scire, credere, & loqui, sunt actiones personæ intelligentis, volentis, subsistentis. Contra *Photin: Ostorod, in instit. c. 4. Smalc. contra Frantz. diss. 1. Goslav. contra Keckerman. part. 2.* & hæc ultima sententia verissima, quia nullus Prphetarum vel Apostol. eodem modo scit & vidit, quo CHRISTUS *Job. I, 18. Job. VIII, 16, 38.* hinc convenienter conjungi non possunt, *Job. V, 37.* Quin & ex intentione CHRISTI regenerationis veritas, necessitas, & ad salutem sufficientia sic maximè probatur.

v. 12. XXX. Hunc versiculum non in *παρρησίας*, cum *Heinsio in Exercitat: in b. l.* statuimus, sed singulare argumentum contra indocilitatem Nicodemi & reliquorum Phariseorum continere putamus. *August: Beda, Conzen* per *ἐπιγεια* intelligunt ea, quæ *cap. II.* de templo solvendo dicuntur. *Chrysof. & Cyrill.* de ipsa re substrata spirituali seu regeneratione, unde omnia, quæ in Ecclesia fiunt, *ἐπιγεια* vocant. Nos de modo rei tractandæ simili sc: a vëto petito *ἐπιγεια* explicamus.

v. 13. XXXI. Varii varias hujus versus cum præcedent: connexiones suppeditant, *Maldon: Jacob. ad portam, Jansen. Beza, Marlor. Heinsius,* improprie de spirituali intelligentia interpretantes ad v. 12. referunt. *Chrysof. & Theophyl.* proprie quidem, sed ad v. 2. respectum fieri dicunt. *August. lib. I. de peccatorum meritis,* ad principalem quæstionem refert, cui subscribimus, cum propter *ἀντιθεσιν* ascensus & descensus, tum propter explicationem modi hominibus ad ascendendum necessarii, qui consistit in regeneratione, per quam cum CHRISTO capite jungimur.

XXXII. Non absolute etiam ante Nicodemum viventes à cælo excluduntur, *Gen. V, 24. Job. VIII, 56. Psal. XXXII, 1. Rom. IV, 1.* Contra *Barrad T. II. Harmon. l. IV. c. 2.* sed respectivè, neminem post lapsum propriis viribus eo pertingere, multò minùs aliis viam peccatis occlusam aperire potuisse, præter CHRISTUM asseritur. CHRISTUS autem ascendisse hoc loco dicitur, non propter investigationem rerum divinarum, *Matth. XI, 26. Job. I, 18.* Contra *Socin. in explic: loc. Script: p. 87. Smalc. lib. de divin. Christi.* nec per ipsam unionem hypostaticam in momento conceptionis factam; contra *Maldon.* sed quando post resurrectionem visibiliter & localiter sublatus, *Act. I, 9, 10.* suam visibilem præsentiam hominibus subtraxit, ut verbum *ἦν* indicat *Gen. XVII, 22. c. XXXV, 10, 13.* & in cælum non in locum aliquem certum

tum